



1896.

15.
VIRO

EXCELENTISSIMO

ATQUE DOCTISSIMO

FRIDERICO ANDREAE GALLISCH

AA. MAGISTRO ET MEDIC. BACCAL.

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

AMICORVM SOCIETATIS NOMINE

GRATVLATVR

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS ENKE

AA. M.

Super quodam Io. Boëni loco de Medicorum dignitate.

LIPSIAE MENSE MAIO MDCCCLXXVII.

V I R O

E X C E P T I O N I T A C E S I O

A T O V E D E C T R U M O

R I D E R I C O A N D R I A N E

G A L I G H A

S U M M E R U M B E R G I C H O N G R E S

C O M M O D I T Y M I S S I O N I T A C E I T O N I C A

D R A K Y A

C H E R I C O L I C I A L A T C H O N T O T R I C I A

C H A M A

F I R S T E C O M M O D I T Y M I S S I O N I T A C E

F I R S T E C O M M O D I T Y M I S S I O N I T A C E

VIR EXCELLENTISSIME
ATQUE DOCTISSIME

Cum mihi nunciatum esset, me illius doctissimorum Virorum
societatis nomine, quam scis suam Tecum coniunctionem
et honori magno, et insigni semper voluptati sibi duxisse, sum-
mos Tibi in Medicina honores gratulari, atque, quantopere
omnes illi Tui amantissimi Viri de his diligentiae doctrinaeque
Tuae praemii laetentur, publice Tibi declarare debere; ancipi-
fensu meum distrahi animum intellexi. Et primum quidem lae-
tabar vehementer, quod mihi videbar hoc mandato praeclarari
animi mei Tibi deditissimi declarandi opportunitatem nactus esse,
qua, ex quo Te et nosse et amare coepi, nihil profecto studio-
fius et contentius quaesueram. Deinde vero cum de litterarum,
quibus hanc studii in Te mei significationem inferre cupiebam,
argumento cogitarem eiusmodi, quod nec iniucundum Tibi et
Tua doctrina indignum, nec alienum vel ab huius diei Tui hilari-
tate, vel ab utriusque nostrum litterarum genere esset; facile in-
telliges Ipse, in magnas me difficultates incidisse, siue a littera-
rum, quas vterque amplectimur, diuersitate, siue imprimis for-
tasse a mei scribentis ingenii leuitate ortas. Etenim quamquam
ego non ex iis eram, qui ad Medicos de rebus theologicis scribe-
re vereantur, nescio quid infasti omnis ex ipso nomine subolen-
tes; et quamquam omnium minime dubitandum erat, quin Tu
talis argumenti scriptiunculam lubenter essem lectorus, qui non si-
ne voluptate quadam interesse videaris societati, non modo Viris
non nisi Theologis, praeter Te, constanti, verum etiam libros
maximam partem theologicos sociis legendos distribuent; tamen
ne huius diei Tui temporisque laetitiam seueriori lectione inter-
rumpere voluisse viderer, malui hoc gratulatorium officium in
eiusmodi argumento traclando absoluere, in cuius lectionis leu-
tate, non plane ingrata, animus Tuus, multorum laborum gra-
vitate hucusque defatigatus, et hodie imprimis e conflietu litera-
rio viator reduc posset paullulum requiescere. Quare cum nuper
forte incidens in Io. Bodini, Francogallorum Sec. XVI. Scripto-

ris classissimi, de Republica Libros, in quibus illum omni scientiarum genere non tincti, sed inibuti ingenii fidem fecisse Thuanus iudicat; reperiisseque, eum c. VIII. L. III. de Medicorum in republica dignitate et honore sic indicasse, vt contenderer: quamvis colendi sint in ciuitatibus Medici; non tamen ferendum esse, oratoribus ac Iureconsultis eos exaequari — Rontam enim sine Medicis sexcentos amplius annos floruisse, sine legibus vero legitimaque disciplina ne momentum quidem villam ciuitatem stare posse; haec igitur cum legisset, sensi me quadam indignatione in istum Iureconsultum Francicum commoueri, qui, si tanta cum fiducia et auctoritate praecipere volebat de Iureconsultorum praे Medicis in republica dignitate, hanc certe sententiam suam melioribus gravioribusque argumentis, quam quibus usus est, confirmare debet. Nam quod in antecedentibus dixerat, Romanis medicorum seruile et abiectum munus fuisse, ac medicinam a liberalibus disciplinis disiunctam, id etiam verum eset omni ex parte, non tamen erat eiusmodi, ex quo iudicij illius veritas pateret. Sed haec iam tum fuisse videtur multorum Francogallorum ratio (quam utinam ne tam multi ex nostris in Historia et Philosophia potissimum imitati essent!) vt, dummodo quid noue, eleganter et belle protulerint, veri et accurati iudicij laude lubenter carerent. Atque hoc in Io. Bodini scriptis virtutum iam animaduertisse video Herm. Conringium in praestantissimo de Prudentia Ciuii libro (c. XIV.) ubi, laudatis Viri illius ingenii felicitate, iuris Romani peritia, historiarum omnis generis inusitata scientia, aliisque praeclaris virtutibus, illud in eo vituperat, quod neque ex veris et diligenter exploratis ubique principiis argumentatus sit, neque, dum fuerit nouitatum iusto studiosior, veritatis semper habuerit rationem.

In quo quidem uere iudicasse Conringium, pace Tua, Vir Excell. iam exemplo aliquo luculento videamus, illo nempe eius de dignitate Medicorum loco paullo accuratius examinando, et ostendendo, Medicos in republica nisi praferendos Iureconsultis, at pari cum iis dignitate atque loco esse habendos. Cuius quidem quaestionis rationem, si placet, teneamus hanc, vt, argumentis primum, quibus scriptor Francicus ad confirmandam suam sententiam abutitur, confutatis, alia deinde quaedam ad nostrum

strum de hac re iudicium ruendum adferamus. Ceterum illud quoque facile mihi tribues, me, quippe nec Medicorum nec Iureconsultorum ordini addictum, in hac quidem causa ab omni cupiditate liberum futurum, cuius suspicionem Bodinus apud intelligentes rerum judices vix effugerit.

Iam ut a primo philosophi Francisci argumento ordiar, quo Medicos in republica Iureconsultis aequiparandos non esse protoperea contendit, quod Roma sine illis sexcentos amplius annos floruerit, quamquam illud negari non potest, Romanam rempublicam per tantam annorum seriem non habuisse, qui medicarum rerum scientia ita essent instructi, ut magnorum medicorum nomen obtinere possent, id quod significasse videntur scriptores, ito loquendi modo vñ; tamen et ostendi potest, eam tum non plane sine medicis, certe ex Graecia adductis, fuisse, et intelligi facile causa, cur inde ab initiis urbis medicina ad illud dignitatis cultusque fastigium non peruenierit, quo in sequentibus annis ascendisse vñla est. Nam et ipse Plinius, auctor, vt opinor, illius sententiae, quam in argumenti loco pro minori Medicorum, quam Iureconsultorum, dignitate posuit Bodinus, eodem illo loco (Hist. Nat. XXIX, I.) Archagathum dicit, medicum quendam graecum, cum a. V. C. DXXXV. e Peloponneso Romanam venisset, ibi initio magna cum omnium approbatione et laude medicinam fecisse, et Halicarnassensis Dioscyrus commemorat (Antiquit. Rom. IX et X.) Romanos medicos, cum vrbs aa. CCLXXXII. et CCCI. graui peste vastareretur, contagioni eius resistere nullo modo potuisse, eorumque operam nec arcendae, nec imminuenda tanti mali miseriae suffecisse. Ex quibus quidem intelligi posse putem, Romanum ante septimum ab V. C. seculum non omnino caruisse medicis, quamquam nec negem, ex Graecia porius eos cum Diis Graecorum, Apolline et Aesculapio, adductos, quam ex ipsis Romanis ortos videri, nec dubitem, quin illi, nostris comparati, chirurgorum potius, quam medicorum nomen mereare videantur. Neque vero hoc cuiquam valde mirum videri poterit, qui Romanam gentem nouerit, primis illis reipublicae temporibus ita fuisse belli reique militaris disciplinae atque gloriae de dictam, ut nulla plane esset ingenii et literarum laudis cupiditas, nullumque optimarum artium ac disciplinarum, quibus tamen ad

societas civilis salutem nihil vberius et fructuosius iudicatur, studium. *Artes*, inquit Liuius, (XXXIX, 8.) ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens (Graecorum puta) inuexit. Et sane, quinam erant Romae, antequam Graeciam, illam omnium liberalium artium matrem et perfectricem, in potestate tutelamque suam receperisset, Grammatici, Poetae, Rhetores, Iureconsulti magni? Liuius quidem initio sexti Hist. libri, quocum res post liberatam a. V. CCLXVI. a Gallorum obsidione per F. Camillum ciuitatem gestas narrare incipit, paruas et raras per eadem tempora literas fuisse tradit; multoque post, L. Crassum constat, cum censor Romae esset, Rhetores Latinos edicio ex urbe eiecisse propterea, quod impudentiae potius quam eloquentiae magistri essent. Num igitur tum aliam medicinae rationem Romae fuisse existimabimus, quam quae fuit omnium omnino liberalium artium et disciplinarum? Praeterea si qua arte facile poterant Romani carere antiquis illis temporibus, ea profecto medicina erat, quali quidem nos vtimur. Enimvero quid ea opus erat inter homines, qui, cum firmis a natura validisque corporibus viuendique generre vterentur ad sanitatem corporis animique tuendam aptissimo, liberi erant ab omnibus illis malis, quorum cohorte stipata posteriorum seculorum luxuria premebatur? In illo quod poterat esse huius artis desiderium? quae existimat? quod eius addiscenda tractandaeque studium? Nam, tuam fidem! Vir Excell. cuperesne Tu medicinam facere in hominum societate, qui, nati cum sanis et robustis corporibus, ea inde a primis pueritiae annis multis variisque exercitationibus, firmata, frigori aestuique, omnisque generis molestiis ferendis adsuefacta, nullis vnuquam cibi potusque deliciis debilitata, contra ea simplicis et sani virtus vsu indies magis corroborata, semper a grauioris morbi periculis facile tuta praestare, affecta vero mali cuiusquam intiis abstinentia cibi, fricatione corporis, ambulationibus, libenterque aeris vsu curare, et ad pristinam valetudinem reuocare didicissent? Vereor equidem vehementer, vt, si in eiusmodi hominum ciuitate natus essem, addiscenda exerceendaque arti, Tuae tantum studium dicaturus fuisses, non quo digna diligentiae et studiorum Tuorum praemia Te ferre posse desperares, quibus Tu, cum agendi rationes non extrinsecus petas, sed ex Te omnia

apra

spa habeas atque suspensa, facillime careres, sed quod aegre posses inter eiusmodi homines luculenta medicarum rerum peritiae Tuue documenta edere, intelligeresque cum animi dolore, artem negligi, qua nihil fortassis inter res humanas datum hominibus a Deo maius est atque praestantius. Veniet Tibi hic in mentem elegantissimus ille apud Senecam locus (Epist. XCV.) ubi, caussis, cur medicina, paucarum quondam scientia herbarum, iam suis temporibus in tam multiplicem artem excreuerit, allatis, iisque maximam partem in viuendi genere a summa simplicitate in maximam varietatem mutato positis, ita pergit: *Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriae? Immunes erant ab ipsis malis, qui nondum se deliciis soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministabant. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellecibile, tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat ex simplici causa valetudo; multos morbos multa fercula fecerunt.*

Quid igitur mirum, Vir Excell. antiquis reipublicae Romanae temporibus, in tali populo, in tanta literarum omnium rareitate, tanta vixtus cultusque frugalitate, medicinam non exultam, non tractatam, non aestimatam digne fuisse? Illud autem, vereor, ne multis mirum videatur, quod Bodinus ipsis temporibus suis, in hac republica, in tanta viri doctrina, huic fundamento communem hanc et uniuersam superstruxerit sententiam: non esse fermentum, medicos in republica exaequari Iureconsultis. Etenim, etsi tantam Iureconsultorum esse vim et necessitatem ad rerum publicarum felicitatem et intelligo, et profiteor, quanta sit ipsorum legum; tamen in ciuitatibus ad humanitatem exultis, qualis Roma post sexcentos illos annos, fere coepit esse, suntque iam omnes prope Europaeae, non minorem quoque medicorum esse, quis est vel tam coecus, quin videat, vel tam infestus medicis, quin concedat?

Neque enim hoc eget profecto demonstratione, ad communem veramque cuiusuis ciuitatis felicitatem requiri potissimum firmam corporis valetudinem singulorum ciuium, eamque rem publicam, quae careat hominibus corpore bene valentibus, plurimas grauissimasque ob caussas inter felices numerandam non esse. Iam vero etsi non negauerim, hanc communis felicitatis partem parari maxime posse recta et severa morum disciplina, vi-

tae-

VIII

taeque instituto eiusmodi, quo Romanos antiquissimis temporibus vlos esse constat, vtunturque fere homines, antequam in civitates suas diuitias, luxuriam, ignauiam, mollitiem admiserint; nihil tamen minus contendendum putem, consilia et auxilia medicorum, sine magno reipublicae detimento, nullo vñquam tempore curandæ ciuium valetudini deesse posse. In Islandia quidem insula (tantus terrarum tractus emetiendus est, priusquam in terram medicis carentem veneris) ab externa reliquarum Europæ ciuitatum felicitate tantum adhuc remota, quantum ab iis multitudine incolarum, humanitate et elegancia morum, amplitudine mercaturae, literarumque cultura superatur, si, praeter severam illam disciplinam, viuendique genus rude ac simplex, quo insulani illi corporis valetudinem, a natura acceptam, tueruntur, medici essent atque chirurgi, qui Islandos, inter pescaturae marinae venationisque molestissimæ pericula morbo aut vulnere quodam adfectos, curarent, celerique et aptae eorum sanationi prospicerent, ad longiorem sane beatiorumque vitae actatem, quam nunc quidem fieri constat, pertinenti, omninoque meliori reipublicae statu fruituri essent. Atque hanc in pagis, ab urbe paullo remotioribus, querelam quis se audire non meminerit, vt dicerent homines, ultra vulgus imperitum sapientes, se in hoc uno inuidere oppidanorum hominum fortunae, quod hi, si opes fuerit, medicos in promptu habeant; ipsi, morbo vel periculosisimo iacentes, aut omni medicinae ope destituantur, aut tonsorum et circumforaneorum crudeli imperitia pereant. Quantam igitur medicorum necessitatem dicamus in illis ciuitatibus esse, in quas recta et seuera morum disciplina, optima illa vitae et bonaæ valetudinis sustentatrice, deserta, sublatisque ex animis ciuium magnis et honestis sensibus, diuitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendi que omnia inuexere? quae tum erit eorum ad sustentanda corpora debilitatorum, atque innumeris morbis vitaeque ignatae et luxuriosae periculis obnoxiorum clivium utilitas? Hoc certe videimus omnium fere ciuitatum exemplis confirmatum esse, vt, quo longius quaque a feritatis et barbariei tenebris primum ad humanitatis et mansuetudinis diluculum, tum ad culturae literarumque lucem, deinde magis magisque ad perfectae magnitudinis splendorum

dorem acceſſerit, eo maiori fere honore et dignitate habuerie medicos. Romae quidem inde a Iulii Caesaris temporibus magna coepit esse eorum aestimatio, et insigne studium honoribus preſequendi, qui in hac arte excellerent, ita, ut illa aetas multis benevolentiae studiique ſignificationibus compensare velle superioris negligentiam, ſi qua fuiferet, videretur. Is enim cum omnibus medicinam Romae profeffis, ius ciuitatis dediffet, ad quod deinde sub Augusto, per Antonium Musam ex aduersa valetudine in optimam reſtituto, immunitas munerum acceſſerat, poſtea ſub Vefpafiano, Adriano et Antonino conſirmata; a Seuero Imperatore annonas ex publico, et ab aliis alia beneficia multa et maxima acceperunt.

Sed haec ſufficient ad oſtendendam primi, quo ad deprimentes medicos abuſus eſt Bodinus, argumenti leuitatem. Veniamus, pace Tua, Vir Excell. ad alterum, a conditione medicorum ſeruili atque humili apud Romanos defumtu, in quo poterimus hoc eſſe breuiores, quo accuratius iſi tractatum eſſe conſtat a Viris doctifimis, Caſaubono contra Robertellum, qui primus omnes omnino Romae medicos ſeruili conditionis fuiffe contenderat, imprimisque ab Henrico Lampio, ICto, contra Io. Frid. Boeckelmannum Angloſque potiſſimum eos, qui hoc ſeculo magnam et acerrimam illam de hac re litem mouerunt, cuius hiftoriam a Schlaegero, Helmstad. Profess. deſcriptam eſſe non ignoras. Scilicet quod Bodinus dicit, Romanis medicorum ſeruile et abiectum munus fuiffe, in eo tam vniuerſe pronunciato longe longeque a re ipſa recessiſſe iudicandus eſt. Etenim quamquam illud dubitari non potest, medicos Romanos plerosque, imprimis ante Iulii Caesaris tempora fuiffe ſeruos aut libertos, et poſt eius quoque aetatem principes Romae viros in ceteris urbanae familiae ſeruis medicos etiam habuiffe; tamen oſtentum eſt ab illis duobus viris, fuiffe quoque ingenuos homines, qui ſue ex Graecia adducti, ſue aliunde, ſue ex ipſis ciuibus Romanis orti, operam ſuam medicorum arti conſecrarent, tantique ab Imperatoribus adeo aeftimarentur, ut ſummis ab iis beneficiis ornati, grauissimis muneribus adhibiti, amicorum denique loco babiti fuerint. Antonio quidem Musae, medico, ſtatuum, aere collato, iuxta ſignum Aſculapii ab Imperatore Auguſto poſitam eſſe, cui non ex Suetonio

nio notum sit? Sed nolo haec longius perseguiri. Illud autem silentio praetermittere non possum, quod, si ne vnuis quidem homo ingenuus in republica Romana medicinam fecisset, suisserque tam praeclara liberalique homine dignissima ars non nisi a seruis tractata, id non magis derogaturum esset de dignitate medicorum nostrorum, eorumque arte; quam illud nunc apud probos et graves viros doctorum religionis dignitatem pretiumque imminuit, quod in multorum naturulorum et bellorum hominum oculis nihil fere vilius et contemptius esse videtur, Parochorum paganoconditio. Debebat potius ista veterum Romanorum saluberrimae artis negligatio in argumenti loco poni, ex quo peruersistiis aeu iudicandi ratio elucesceret, quam quo scriberetur posteriorum seculorum rectiori iudicio lex, ad cuius formulam dignitatem et praestantiam medicorum in ciuitatibus metiretur.

Sed satis, opinor, dictum est ad confutanda ea, quae Bodinus ad suam sententiam confirmandam ex Romanae reipublicae historia attulerat; tantumque, vereor, ut intelligere possis, Vir Excell. hominem alienum ab his studiis, e quibus haec deponuntur, dum velit omnem rerum studiorum suorum circulum excurrentium scientiam effundere, nullum fere, vel omni cautione exhibita, facilius incurtere vitium, quam loquacitatis et ineptiae sapientiae. Quo quidem, quicquid sit, illud certe affectum me esse puto, ut intelligeretur, argumenta illa Francici scriptoris nec vera omni ex parte, nec, si vera, ira esse comparata, ut exinde propositae sententiae veritas intelligi posse videatur. Ceterum patere, Vir Excell. ut tibi hic in memoriam revocem perspicacissimi Iselini de Bodiniana Republica iudicium, in eius Ephemeridibus, a societate nostra ante non multum tempus lectis, obviūm, quo Basileensis Philosophus contendebat, illud Opus magis e scriptis veterum haustum, quam ex vera et accurata hominum ciuitatumque notitia elaboratum videri. Quod quam vere et sollerter sit iudicatum quotusquisque est, qui ex ipso nostro loco non suspicetur? Nam quid est hominis bona valetudine estimabilis? quid ad vitae humanae iucunditatem praestantius? quid denique ad vniuersae societatis utilitatem fructuosius? Si, cum valemus, tum demum omnibus vitae bonis, ipsaque vita, cum voluptate frui licet, quae, simulacrum aegrum traxeris corpus, non modo omnem amittunt gratiam, sed grauissimo etiam oneri esse

esse incipiunt; si nulla re magis in animi facultatibus omnibus re-
ete et lubenter vtendis peragendoque omni officiorum genere ad-
iuuamur, quam corporis recte valentis ministerio; quale eorum
munus esse dicamus, quanta aestimatione et reverentia dignum,
qui huius tanti boni nobis conseruandi custodiendique curam in
se suscepere? Hos num dubitabimus illis aequiparare, qui tutos
nos ab iniuriis, metu, defraudationibus, aliquaque malis, magnis
illis quidem atque molestis, sed ad morborum calamitatem pro ni-
hilo fere aestimandis praestant? Immo, medicorum, inquit Seneca
aliquo loco (de Benef. VI, 15.) magna caritas, magna reverentia
fit; emis enim ab iis rem inaequabilem, vitam, ac valetudinem bonam.

At quot homines non priuantur a medieis isto tanto valetu-
dinis, imo vitae, bono! — Audio; noloque respondere id, quod
Alexandrum IV. Pontificem simili occasione dixisse nuper admo-
dum alicubi legi. Scilicet in mensa eius cum esset aliquando de
medicis quæsictum, praestaretne hos a republica submoueri? cum-
que hoc nonnulli contendissent fore ex re et bono communi, vt
qui iam innumeros homines necaserent; contrarium sese Pontifex
sentire arguto ioco dixit; nisi enim, inquit, hi essent, illam ho-
minum multitudinem mundus aegre sustineret. Illud tantum
commemorabo, mihi de medicis vniuersis sermonem esse, quibus
si immiscuerit sese pessima medicastrorum natio, ea aequa parum
nocere totius ordinis dignitati videtur, quam tanta rauorum de-
foro cauillidorum turba bonorum et excellentium Iureconsulto-
rum honori.

Sed praeter communem illam vtriusque disciplinae ad felici-
tatem hominum ciuitatumque vim atque utilitatem, ob quam me-
dicos pari cum Iureconsultis in republica dignitate habendos pu-
tem, alia causa est, petita ab vtriusque scientiae amplitudine.
Etenim quamquam tantum esse Iurisprudentiae ambitum ex peri-
tis harum rerum arbitris audiui, quantum vix ullius hominis in-
genium aut diligentia capere possit; tamen idem ego, si, quam
plurimarum rerum naturas medicorum scientia rimetur, quam di-
ligenter inquirat, quomodo omnia sint ex elementis orta, qualem-
que ex eorum commissione temperationem acceperint, quam ac-
curatam imprimis et amplam humani corporis animique, et rerum
omnium noxiarum salubriumue cognitionem requirat, animo per-
pendo; tum vero et artis saluberrimae praestantiam sentire, et
erga

erga professores eius magno admirationis sensu tangi mihi videor,
quippe quos non modo tam multarum rerum peritia ornatos esse
oporteat, id quod fortasse commune habent cum Iureconsultis,
sed etiam tam utilium, tam magnarum, tam necessiarum, in quo,
si fas est dicere, Iureconsultis praestare videntur.

Ceterum poterat adhuc ex mutuo utriusque scientiae auxil-
lio, non modo communis illi omnium artium et disciplinarum, sed
proprio quodam, quo Iureconsulti saepe in sententiis ferendis,
imprimis in capitibus causis, medicorum ope supersedere nullo mo-
do possunt, argumentum pro ea peti sententia, quam mihi contra
Bodinum cum maxime defendendam sumi; nisi hoc vel Tua, Vir
Excell. doctrina superuacuum facheret, vel talis scriptiunculae fi-
nes, vel officii, cuius causa hoc, qualemque est, scribendum
fuit, absoluendi cupido impidirent.

Etenim, quod ab initio dixi, mandatum mihi est ab amico-
rum quorundam, quos coniunxit Tecum recentiorum librorum
legendorum institutum, societate, ut laetitiae bonorumque voto-
rum, quorum iam pleni omnium animi sunt, interpres essem. Sci-
licet laetamur, Vir Excell. omnes eo magis atque impensius de-
summis, hodie Tibi tributis, in Medicina honoribus, quo firmius
nobis est persuasum, eos non minus Tibi, quam Te illis ornamen-
to fore, et quo certius ingenii praestantia, doctrinae copia, dilig-
gentiae assiduitas, quas in Te esse multis nec fallacibus documentis
fidem fecisti omnibus, non sperare nos, sed confidere iubent.
Tuo Te exemplo ostensurum esse, quanta sit medicorum in re-
publica ad felicitatem cum singulorum ciuium, tum vniuersae so-
cietatis vis atque utilitas, quamque digni sint honore et aestima-
tione honorum et intelligentium virorum omnium. Cui quidem
spei nostrae ut satisfacere possis, frui Te semper cupimus. Ipsum
illo tanto et inestimabili bono, cuius in aliis tuendi studium arti
Tuae propositum est. In quo, ut in ceteris rebus Tuis, si Deum
habueris benignum atque propitiū, id quod sincero animo opta-
mus, reliqua omnia, quibus ad vitae utiliter et cum volupate
agendae felicitatem opus fuerit, ex solis Tuis virtutibus petes.
Ita vale, Vir Excell. nosque, ut adhuc fecisti, amare perge!
Scripsi Lipsiae in Mercatu Vernali A. C. MDCCCLXXVII.

Ztsr 1672. 8^o

ULB Halle
003 856 135

3



Sb.

V01P

V01Z





B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black